



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Completens Constitutiones ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII. editas

Luxemburgi, 1740

XLVIII. Quod Indulgentiæ anno Jubilæi suspensæ possint Fideles illas
applicare per modum suffragii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74724)

gnitate fulgentibus, ut executioni presentis hujus Nostri Decreti omnino studeant, neque illi quoque modo contraveniri permittant sub pena suspensionis a suis respective officiis ipso facto incurrendo, aliisque Nobis arbitrariis; Illudque de more in omnibus illius Provinciae Domibus publicari, affigi, & registrari curent. Datum Romae in aedibus Nostri Sanctae Mariae Magdalene die 3. Aprilis 1723. -- Ita est Philippus Russi Secretarius Generalis.

Preces Confulcoris Generalis pro d. Provincia.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio sub-
jungebat dictos Franciscus praemissa, quo firmus subsistant, Apostolicae Confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinari, Decretum praesentium auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac ipsum Decretum observari mandamus.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

§. 4. Decernentes eandem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Cum derogatoriis.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis, & Provinciae praedictarum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die XXI. Aprilis MDCCXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XLVIII.

Conceditur Christianis fidelibus facultas applicandi Indulgentias, Anno Jubilaei durante suspensas, per modum suffragii animabus defunctorum.

Dicta suspensio facta fuit Const. ed. 1724. Jul. 6. P. 1. Et const. ed. 1725. Mart. 2. P. 1. declaratur quaedam Indulgentias in dicta suspensione non comprehendi.

Dat. 28. Apr. 1725. An. 1.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Universis Christianis fidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Salvatoris, & Domini nostri Jesu Christi, qui de sinu Patris ad infima Mundi descendens, & formam Servi accipiens in ara Crucis pro humani generis redemptione pretiosissimum Sanguinem suum effundere dignatus est, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ad ea libenter intendimus, per quae fidelium Defunctorum

animae, hoc potissimum tempore, expiationis scilicet, & veniae, remissionis, & gratiae, ejusdem Domini nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritotum uberius consequi, & illis adjuncta ex Purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perducere valeant.

§. 1. Cum itaque nos occasione praesentis Anni Jubilaei omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones quomodolibet concessas dicto Anno durante, sub certis modo, & forma tunc expressis per nostras sub plumbo expeditas literas suspenderit; ac postmodum sub generali suspensione hujusmodi, neque Indulgentias Altarium Privilegiatorum pro fidelibus Defunctis, nec alias quascumque eodem modo pro solis Defunctis concessas venire, sed quas vivi sibi lucrari possent cum facultate illas per modum suffragii Animabus ipsorum Defunctorum in Purgatorio existentibus applicandi comprehensas esse, inter alia declaraverimus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 2. Mensis Martii proxime praeteriti confectis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius continetur.

Alias ab eodem Pontifice Indulgentiae Anno Jubilaei durante, suspensae fuerunt.

§. 2. Nunc vero fidelium devotioni, Animarumque eorumdem Defunctorum refrigerio per amplius consulere cupientes, ac declarationem a nobis, sicut praemittitur, editam ampliandam, & extendendam, omnibus, & singulis Christianis fidelibus, quod quascumque Indulgentias, & peccatorum remissiones, ut praesertim, suspensas (injuncta tamen in illarum concessionibus pietatis opera peragendo, ac firma remanente pro vivis earum suspensione) ad effectum illas Animabus fidelium Defunctorum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii hoc Anno Jubilaei durante directe applicandi, etiam eas sic applicandi facultas in concessionibus praedictis concessa non fuerit, consequi libere, & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde, ac si suspensio praefata a nobis non emanasset, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, & indulgemus.

Concessio praedicta.

§. 3. Non obstantibus suspensione hujusmodi, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausula.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die XXVIII. Aprilis MDCCXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Confirmatur quaedam Gregorii XV. Constitutio de non recipiendis Fratibus Congregationis Galliae Tertii Ordinis S. Francisci Provinciae S. Joannis; cum ejus ampla extensione.

XLIX.

Hac de re legatur dicta Constitutio Gregorii XV. quae hic citatur. Clem. XI. Const. ed. 1708. August. 9. P. 8. agitur de Electione Vic. Generalis eorundem Fratrum Provinciae Lugdunen.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Provinciae Sancti Joannis Tertii Ordinis Sancti Francisci de Penitentia nuncupat, Congregationis Galliae, quod dudum fel. rec. Gregorius Papa XV. Praedecessor Noster per quasdam suas in simili forma

Dat. 2. Maji 1725. An. 1.

Alias a Gregorio XV. statutum, ne Superiores aliorum Ordinum reciperent quoscumque Pro-

Brevis